

Hæc est declaratio sacrificij, quod ut offeramus Domino Propheta nos admonet. Afferte, inquit, Domino gloriam & honorem .i. voce & opere glorificate Dominum: nec solum voce, & opere Deum laudate, sed etiam corporis inclinatione illum veneramini, & per veram adorationem supremum Dominum agnoscite, ac protestamini. In Hebræo **ו** pro voce, honorem, habetur, hoz, q̄ proprie fortitudinem, potentiam, siue imperium significat. Ex quo intellegimus, honorem, quæ iuxta editionem Græcam & Latinam Deo debemus, esse honorem confessionis potentia, & imperij Domini: tunc enim Deum verè honoramus, cum eius potentiam & imperium agnoscimus, & confitemur. Et est valde ad propositum hoc loco honor potentia, cum in toto Psalmo Dei potentia laudetur. Pro, nomini eius, in codicibus hebraicis cum punctis Rabinorum habetur, nominis eius: quæ lectio faciliore sensum habet, quam nostra. Sed quia editio græca habet, nomini eius, & eodem modo ex Hebræo vertit S. Hieronymus, oportet Septuaginta Interpretes, & S. Hieronymum aliter legisse, quam Rabiini legerunt. Nimirum illi legerunt, chauod scemò, gloriam nomini eius; isti verò, cheuod scemò, gloriam nominis eius. Sensus igitur est, Afferte Domino gloriam nomini eius, id est, afferte gloriam Domino, id est, nomini eius, celebrantes videlicet, nomen, famam, notitiam Domini. Pro voce, atrio, in Hebræo est, hadrat, decore, seu pulchritudine, in Græco est, αὐλή: unde S. Augustinus & alij legunt, aula. Ceterum facile est videre, Septuaginta Interpretes non legisse hadrat, sed chadrat, unica litera simillima immutata: illa enim vox, si legatur per **ח** significat decorem, si per **א** significat atrium, & hanc esse veram lectionem dubitare non possumus, nisi Septuaginta viros, qui omnium iudicio sapientissimi erant, imperitiæ arguere velimus; ut omittam quod magis conuenit cum verbis, Adorate Dominum, in atrio sancto eius, quàm in decore sancto eius. Porro vox Græca αὐλή, non significat id, quod nos Latine dicimus aula, sed vestibulum, siue atrium subdiale; proinde qui legunt, in aula, retinent sonum vocis græcæ: qui le-

כבוד
שמו
כבוד
שמו

הדרת

הדרת
הדרת

gunt, in atrio, retinent veram tam hebraicæ, quam græcæ vocis significationem. Per hoc atrium sanctum, in quo Deum adorare iubemur, intelligitur tum ipsum tabernaculi iudaici vestibulum, ad quod omnibus promiscuè aditus erat, cum in tabernaculum soli Sacerdotes intrare permitterentur: tum potissimum Ecclesia Catholica, quæ est velut atrium, seu vestibulum tabernaculi cœlestis. nam in Ecclesiam & boni & mali passim admittuntur, sed in tabernaculum cœleste illi soli ingredientur, qui dicere poterunt Christo, ut in Apocalypsi legimus, Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, Apocal. 5.

Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. III.

Hic iam incipit explicare Propheta, cur nos inuitauerit ad laudandum & celebrandam potentiam Dei. Causa enim est, quia vox Domini mirabilia operatur, tum in corporalibus elementis, tum in spirituali fabrica Ecclesiæ. Describit primum operationem Dei in aquis, deinde in ære, tum in igne, postremo in terra, quæ sunt partes principales mundi huius inferioris nobis maxime noti. Prima operatio Dei in aquis describitur in primo c. Genesis, cum dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas: & ibidem, dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. & ibidem, dixit Deus, congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Tunc igitur facta est vox Domini super aquas, cum Deus imperauit ut aquæ diuiderentur, & diuisæ congregarentur in locum vnum. i. in cauernas terræ, & terra habitabilis fieret. Hæc ipsa vox dicitur tonitruum, Deus maiestatis intonuit, quia quomodo tonitruum nos continuo prostermit, & obedire cogit: sic ad imperium Domini, continuo aquæ recesserunt, & in loca humiliora se receperunt. Fuit autem hæc vox, & hoc tonitruum Dei super aquas multas, quia tunc aquæ vndiq; totam terram cooperiebant, proinde erat quasi immensa aquarum abyssus super terram. Hæc ipsum ceterius describit idem David in Psal. 103. Abyssus sicut